

ctionem applicentur. Caeterum autem, siquidem pariter in Partibus Transcollapians, ad Constitutum Comitatus Szeverinensis designatis, ac finem in eum per Comitatum Zagrabiensem resignandis, inclavationes Militares praeexistant, ad has etiam, in quantum Partem Jurisdictionis Provincialis respicerent, ac ob hanc ipsam Causam recidere deberent, ex integro tollendas, res praevis per localem Commissionem, exmittendos quippe Commissarios, uberius investigetur et Cognitione earum obtenta, modus accommodatus, earum intuitu, occasione eadem proponatur. Quod vero modalitatem effectuantiae omnis hujus Benignae Resolutionis attinet: praedicti portus Buccari, Buccaricza et Porto-Ree, nec non Bona Buccarana Commercialia *per Statum Militarem, in quantum in horum possessorio actu constituerentur*, mox et citra dilationem, atque adeo primum et ante omnia Jurisdictioni Provinciali, ac in Specie Gubernatori nostro Fluminensi, qua simul Commissario nostro Politico et Camerali, resignentur, intermedio autem tempore, quoad nimirum Militaris Status aequivalens suum obtineat, huic decedentes annui proventus ex aerario Camerali bonificentur, pariter dein ad resignationem et receptionem Civitatis et Pontis Carlostadiensis, excisionemque Pomerij ibidem ad fortalitium pro usibus Militaribus necessarii, mox procedatur, atque sic demum, postquam Status Militaris praedesignatos Portus et Bona Civitatemque Carlostadiensem et Pontem resignaverit, atque e Vestigio, quorumvis Districtuum et Corporum in- et excorporari intentorum in concursu respectivarum Jurisdictionum, Deputatorum item ex Congregatione hac Regni exmittendorum, suscipiendae Conscriptioni et aestimationi, juxta rubricas eatenus via Camerae nostrae Regiae Hungarico-Aulicae indicandas, ac respective illis, quae tempore postremae excorporationis observabantur, accommodandas, manus eo modo admoveatur, ut initio Commissario nostro Politico-Camerali opus illud manuducere debente, idem Conscriptionis et aestimationis labor, ex post per Subdelegatos Commissarios, in finem accelerationis ad duas distinctas Partes continuetur, quo sic postea finalis tractatus, de qualiter obtinendo proportionato Proprietariorum Bona Sua excorporanda dimittentium aequivalenti, nec non in Specifico etiam quoad reductiones ac redemptiones determinandas in mutua respectivorum nostrorum Dicasteriorum Aulicorum concertatione assumi, discuti et Benigno nostro determino substerni valeant.

In cohaerentia autem horum Urbarialia Telonia in S. Cosmo et Fusine in priori Systemate praesistentia mox cessent, in Buccari autem ex officio Telonii Urbarialis fiat finitima Statio Tricesimalis, Flumine porro officium quod praesistit Bancale (manipulatione ejus respectu mercium et productorum in et ex Hungaria venientium cessatura) manipulationem etiam Tricesimae Hungaricae habeat, et quidem usque dum nova Tariffa vectigalis Hungarici elaboretur, veteri vectigali accommodandam, Carlostadii demum Tricesima Capitalis in forma duntaxat depositoriali seu Legstadt permaneat. Non absimiliter benigne nobis visum est, respectu etiam Constitutivi, Status item Personalis et Salarialis Comitatus Szeverinensis id Clementer resolvere: ut Status quidem Salarialis ac etiam pro prima hac vice Personalis officialium in hoc Comitatu ille, qui Majestati nostrae per Gubernatorem Fluminensem, qua una nunc dicti Comitatus Supremum Comitum et alioquin ad actum etiam hunc efformationis et instaurationis Comitatus istius Provinciam habentem, demisse propositus est, stabilietur, *pro ipso autem Comitatus constitutivico habeantur et sint, Urbs et Portus Fluminensis cum Pod-*